

ÆQVATORII ECCLIPTICI SOLIS in plano designatio.

IN plano dato datæ quantitatis describe rectam lineam, & facto centro in medio, describe semicirculum qui sit ABC , quem diuide in 90 partes æquales. Deinde extra illum describe marginem pro gradibus, & spacium pro numero graduum (Marginem aut dico interuallum id, in quo singulæ graduum diuisiones fiunt. Spacium uero, in quo numeri graduum designantur) & incipias ab A uersus c , & iterum à c uersus A , & iterum continebit 90, & est primus circulus. Similiter Diameter eius AC , continebit 60 partes simili modo duplici numero scriptas. Deinde iterum super centro G , fac duo spacua cum margine intercepto, quæ diuide in 90, incipiendo ab A uersus c , ut supra de primo circulo, & est secundus circulus. Post quem iterum gyrabis spacium habens ab extra marginem, quod diuides in 10 partes æquales, quæ partes erunt gradus, & quælibet illarum partium in 60 minuta, & intitulabis ipsas diuisiones graduum à puncto A uersus B , similiter à puncto c uersus B , & habebit utraq; quarta circuli 5 gradus, & quilibet gradus 60 m, & est circulus tertius. Post quem iterum fac circulum habentem duo spacua cū margine in medio, quam marginem diuide modo communi per tabulam latitudinis Lunæ. Postea incipias à puncto A uersus c , describendo in priori spacio gradus per 6 signa, & iterum redeundo à puncto c per B uersus A , intitula bis residua 6 signa. Deinde iterum separatim spacium duorum uel trium digitorum ad placitum, in quo signabuntur puncta eclipsis Solis, & est quintus circulus. Cuius exterior circulus qui est communis huic spacio & argumento latitudinis Lunæ, uocatur longitudo propior. Et alius circulus, qui est communis huic spacio & circulo uersus centrum, dicitur longitudo longior. Et hæc bene nota. Deinde super diametrum AC quære centrum circuli, qui tangit circulum longitudinis longioris apud A , & exteriorem circulum, scilicet longitudinis propioris apud c , & uocatur æquator punctorum eclipsis Lunæ, & est sextus circulus. Postea fac iterum circulum communem, qui habeat spacium & marginem, & est septimus circulus, quem diuides sicut postea dicitur. Illis peractis, reliquam partem lineæ chordarum diuide in 34 partes æquales à G , uersus A intimum circulum iam factum, & etiam à G uersus c , usque ad prædictum circulum. Et caueas ne diuisiones eius confundantur per gradus in linea chordarum signatos. Et hæc linea dicitur linea minorum casus & moræ. Et numerum illorum minorum scribe inter semicirculum in spacio ad hoc facto. Sed numerum lineæ chordarum scribe extra semicirculum in spacio singulari ad hoc facto. Item super G describe circulum, qui contineat de illis partibus 31 partes, & est octauus circulus.

c η Deinde